

QUÆR. 3^o *An etiam dare potuerit licentiam peregrinis, ut carnibus reficerentur non solum ibidem, sed etiam in alio loco quocumque?*

4^o *Utrum socium in itinere, et seipsum dispensare potuerit?*

SOLUTIO :

115. — *R. ad 1^m Quæs.* Episcopus probabiliter dispensare potest cum peregrinis, etiam ad modicum tempus in diœcesi existentibus, quia, per accessum ad Superiorem localem, fiunt sufficienter subditi ratione privilegiorum. Ita multi contra alios non paucos. *V. Comp. n. 115, Quær. 3^o. — S. Lig. n. 158.* — 2^o Delegatus ab Episcopo eadem gaudet facultate, siquidem Episcopus quas habebat facultates ipsi commisit. Ergo valida censenda est dispensatio a GERBERTO concessa. Quoad axioma allegatum, minime ad solvendam difficultatem requiritur, cum aliunde seu ex principio probabilissimi solvatur. Cæterum dispensatio, utpote odiosa, est quidem strictæ interpretationis; potestas vero dispensandi, cum favorabilis sit, late accipitur. *S. Lig. n. 187.*

R. ad 2^m Quæs. Affirm. Facultas enim a GERBERTO concessa in foro interno est omnino *personalis*, ergo personæ adhæret, eamque peregrinantes subsequitur; ergo ad locum minime restringenda est.

R. ad 3^m Quæs. 1^o GERBERTUS dare potuit peregrinis, etiam ad breve tempus in loco commorantibus, facultatem ibidem carnes, die prohibita, justa de causa edendi; sunt enim sufficienter subditi, ut supra de votis dictum est. 2^o Imo prædictis peregrinis facultatem tribuere potuit ut in alio loco quocumque dispensatione uterentur, si ratio dispensationis erat duratura, ob eandem rationem, scilicet, quia tunc erant sufficienter subditi, et dispensatio erat *personalis*.

116. — *R. ad 4^m Quæs.* 1^o Non potuit dispensare socium, etsi pœnitentem suum ordinarium; acceptam enim facultatem exercere nequibat, nisi in foro interno; sed extra locum suum carebat approbatione ad confessiones audiendas, ut supponitur. Ergo socium dispensare non potuit. Secus vero, si approbatus sit, quia pœnitens fuisset sufficienter subditus. Si autem delegatus sit ad dispensandum etiam extra forum internum, extra diœcesim suum socium dispensare nequisset, cum jurisdictione personali seu ordinaria in illum careret. — 2^o Neque potuit seipsum dispensare, quia ille solus dicitur posse secum dispensare, qui est Superior, vel generalem habet facultatem dispensandi in legibus, v. g. delegatus ad dispensandum *in universitate causarum.* *V. S. Lig. n. 183.*

CASUS XVII.

DISPENSATIO PRIUS NEGATA, ET POSTEA AB EODEM SUPERIORE, REI IMMEMORE, CONCESSA.

LEOPOLDUS, voto perpetuæ castitatis ligatus, inhiat nuptiis cum SYLVIA ineundis. Igitur, dispensationem obtinendi gratia, scribit ad S. Pœnitentiariam, sub nomine ficto, *Titii*, v. g., ut mos est in rebus secretis. Pro causa autem allegat tentationes sat graves, quibus contra castitatem subjicitur;

sed infelix orator repulsam patitur. Minime tamen animo dejectus: Scio quid faciam, inquit..., rem iterum experiar. Transacto igitur mense uno aut altero, scribit denuo ad eandem Congregationem, pro eadem dispensatione postulanda, sed, mutato ficto nomine, v. g. sub nomine *Sempronii*, tacitaque repulsa prius sibi facta, causa tamen eadem allata. Successit ipsi sua industria; hac enim vice gratiam exoptatam consecutus est.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid sit dispensatio obreptitia vel subreptitia? et quando invalida sit?*

2^o *An dispensatio LEOPOLDI subreptitia sit et invalida?*

SOLUTIO :

117. — *R. ad 1^m Quæs.* Dispensatio dicitur *obreptitia*, quando in petitione falsa causa tanquam ratio principalis exprimitur, qua cognita non fuisset data dispensatio. *Subreptitia* vero, quando tacetur veritas alioquin necessario exprimenda de jure vel stylo curiæ, præsertim si id ex fraude et dolo contingat. Inde patet hujusmodi dispensationem invalidam esse. Quod si ratio falsa se habeat ut causam tantum impellentem, sine qua nihilominus data fuisset dispensatio, quamvis difficilius, vel si tacetur aliquid non pertinens *directe et intrinsece* ad materiam concessionis, neque de jure aut stylo curiæ exprimendum, adhuc valet dispensatio, quia tunc censetur Superior adhuc velle dispensare, dummodo causa principalis subsistat.

118. — *R. ad 2^m Quæs. Neg.* Etenim hujusmodi dispensatio minime est *subreptitia*, licet forte Superior eam negavisset, si denegationis prius factæ recordatus fuisset. Ratio est, quia præsumptio quod Superior negasset nullo jure fundatur. Nam, si concedat, allatis iisdem rationibus quæ prius allegatæ jam fuerant, inde arguitur dari causas sufficientes ad dispensandum. Nec obstat prior negatio; nihil enim ad causam refert, et negare dispensationem ob illam solam causam non videtur rationi consentaneum. Ratio perspicua est; nam, si justa causa subest, potius decet priorem rigorem temperare, quam illum firmare: ergo circumstantia negationis prius factæ impertinens est ad valorem dispensationis subsequentis. Ergo LEOPOLDUS non tenebatur eam in mentem Superioris revocare. Ergo dispensatio hæc non est *subreptitia*; ergo valida est. Nec obstat etiam quod LEOPOLDUS secunda vice nomen fictum mutaverit, quia nunquam ad nomen attenditur in dispensationibus S. Pœnitentiariæ, cum sit consuetudo ut semper nomen fictum adhibeatur. Parvi autem refert quod sit *Titius* vel *Sempronius*. Nec dicas LEOPOLDUM sic argui posse de mala voluntate Superioris decipiendi. Ille enim non dicitur decipere, qui suo jure utitur. Ita *Suarez, de legibus, l. 6, cap. 22, cum aliis contra plures.*

CASUS XVIII.

DISPENSATIO AB UNO SUPERIORE NEGATA, ET POSTEA AB ALIO, NEGATIONIS IGNARO, CONCESSA.

1^o MAXENTIUS dispensationem voti non reservati ab Episcopo postulavit, nec obtinuit. Paulo post, cum obiisset Episcopus, eandem gratiam ab

ejus successore, prioris petitionis ignaro, eadem proposita causa, consecutus est.

2° LAURENTIUS, infirma utens valetudine, et difficulter abstinentiam a carnibus sustinere valens, dispensationem ab Episcopo, exposito infirmitatis statu, petiit; sed cum non obtinisset, ad S. Sedem recursum habuit, eadem exposita causa, sed tacita Episcopi repulsa, et gratiam impetravit.

3° AURELIUS a Pontifice postulavit dispensationem de impedimento consanguinitatis in quarto gradu ad matrimonium cum BERTA ineundum; verum eam non obtinuit. Quid ille? Resciens Episcopum ab illo impedimento posse dispensare, ex Pontificis concessione, eum adit, et, tacita romana degeatione, eadem tamen causa allata, ab illo consecutus est id quod a Papa negatum fuerat.

HINC :

QUÆR. 1° *An sit valida dispensatio ab uno Superiore negata, et ab ejus successore, negationis ignaro, data? Et quid de MAXENTIO?*

2° *An sit valida dispensatio negata a Superiore secundario, et concessa a Superiore primario, rei inscio? Et quid de LAURENTIO?*

3° *An, vice versa, valida sit dispensatio negata a Superiore primario, et a secundario, repulsæ inscio, erogata? Et quid de AURELIO?*

SOLUTIO :

119. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Etenim ex dictis in casu præcedenti valet dispensatio negata, et postea concessa ab eodem Superiore negationis immemore; ergo ex paritate rationis valet etiam dispensatio ab uno Superiore negata, et ab ejus successore, negationis inscio, data. Ratio est, quia successor eandem habet potestatem ac prædecessor, nec regitur per judicium et voluntatem illius. Imo in illo multo minus est probabilis præsumptio involuntarii; et insuper prædecessoris voluntas nullatenus ad causam refert. Ergo in primo casu minime inquietandus MAXENTIUS.

120. — *R. ad 2^m Quæs. Affirmative.* Quare enim dispensatio invalida foret? Ubi est *subreptio*? Quonam jure negatio facta a Superiore secundario exprimens est in recursu ad Superiorem majorem? Numquid primarius Superior judicio inferioris regitur? Nequaquam. Ergo illa circumstantia negationis ab inferiore facta, omnino impertinens est respectu Superioris, et hoc ad causam nihil prorsus refert. Ergo nulla est præsumptio involuntarii in superiore. Proinde in secundo casu valide dispensatus est LAURENTIUS, quia voluntas Pontificis absoluta censi debet. Pontifex enim non decipitur, atque ex causis allegatis dispensationem concedit; nulla igitur intervenit *subreptio* quæ dispensationem invalidet. Ergo LAURENTIUS non est inquietandus. *Suarez, de leg. l. 6, c. 22. — Elbel, n. 15. — Lacroix n. 811, etc., contra nonnullos.*

121. — *R. ad 3^m Quæs.* Adhuc valida est probabiliter dispensatio in

hoc casu; ratio est, quia potestas inferioris non fuit restricta per negationem Superioris; ergo, si gaudet facultate, stante causa sufficiente, censetur valida dispensatio. Ergo neque AURELIUS *subreptit* egit: jure enim suo usus est; nec proinde est inquietandus. *Suarez ibidem, et alii contra alios.*

Obijciunt plures cum Comitolo. l. 1. Quæs. 106, Sanchez, etc. sic: Hæc dispensatio est *subreptitia*: 1° quia potestas inferioris restricta fuit implicite per negationem Superioris; 2° quia inferior, si repulsam Superioris novisset, nolisset dispensare, siquidem præsumere debuisset Superiorem juste gratiam negasse.

R. ad 1^m rationem. Potestas inferioris non fuit restricta. Hæc enim ablatio potestatis, præsertim ordinariæ, non videtur sufficienter probari, quia hæc præsumptio nullo jure fundatur. Neque ex illo facto sufficienter colligitur, considerata natura dispensationis, quæ est quædam gratia. Deinde denegatio dispensationis provenire potest ex sola voluntate Superioris, vel ex particulari judicio quod talis causa non sufficiat ad justam dispensationem. Sed inferior non tenetur conformari judicio Superioris; ergo non teneretur præsumere Superiorem in illo casu, si rem novisset, ei auferre potestatem dispensandi voluisse. Insuper inferior, dum non prohibetur, utitur sua potestate in proprio foro ut judicat expedire. Hic autem nulla prohibitio facta est. Ergo...

R. ad 2^m rationem. Nec refert quod si inferior scivisset, forte non concessisset; potuisset enim concedere, ut patet ex dictis. Ergo non est certum quod non concessisset. Etenim, si inferior concedat non ignorans priorem negationem, et judicans causam esse legitimam, dispensatio erit valida, quia utitur sua potestate; ergo, si dispenset ignorans hanc denegationem, illa circumstantia per accidens haberi videtur. *Suarez, ibid.*

CASUS XIX.

DE LEGE IRRITANTE.

1° ELIGIUS et ELODIA matrimonium contrahunt optima fide, cum impedimento Ecclesiæ ignorato. Re autem cognita, ELODIA a Confessario petit an in conjugio permanere possit, cum impedimentum a se et conjugate penitus ignoratum fuerit.

2° NICASIUS et HONORINA, consanguinei, tempore teterrimæ et diuturnæ persecutionis in catholicam religionem, dum recursus nullus haberi posset neque ad Parochum neque ad Episcopum, imo neque ad romanum Pontificem, matrimonium clandestine contrahunt, rati duplex Ecclesiæ impedimentum, seu cognationis et clandestinitatis, tunc cessare ob temporum difficultatem vel etiam necessitatem.

3° THRSUS, hæres factus, deprehendit testamentum in suum favorem conditum aliqua conditione legali, essentialiter requisita, carere. Nihilominus, re tacita, hæreditatem adit, eaque pacifice fruitur.

HINC :

QUÆR. 1° *An ignorantia excuset a lege irritante?*

- QUÆR. 2° *An excuset magna difficultas, vel necessitas?*
 3° *An lex irritans semper ipso facto actum reddat invalidum?*
 4° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO :

122. — *R. ad 1^m Quæs.* Ignorantia excusat quidem a peccato, minime vero ab effectu irritationis, quia ignorantia non supplet defectum conditionis essentialiter requisitæ. Excipe, si lex unice irriter in odium et pœnam delicti. *V. Comp. n. 136. — Suarez. — Lacroix, etc.*

R. ad 2^m Quæs. Neque incommodum vel necessitas impedit effectum irritationis, quia lex irritans, actum potius quam personam afficit, neque agitur primario de obligatione conscientiæ, sed de conditione ad bonum commune requisita. Excipe, si inde damnum grave sequeretur pro tota societate, seu pro aliqua provincia : tum enim lex cessaret, quia jam esset inutilis bono communi; et proinde non esset in ædificationem, sed potius in destructionem. *Lacroix et alii communiter.*

123. — *R. ad 3^m Quæs. Neg.* Nam sunt leges quæ non statim ipso facto irritant, sed declarant actum sententia iudicis irritandum. Quænam autem sint hujusmodi leges, ex terminis legis vel ex interpretatione communi Doctorum iudicandum est.

124. — *R. ad 4^m Quæs. — In primo casu :* invalidum est matrimonium, et ad dispensationem pontificiam recurrendum est, ut patet ex dictis, siquidem effectus irritationis ignorantia non impeditur.

In 2° casu : invalidum quoque est matrimonium propter impedimentum cognationis. Cessat quidem in iis rerum adjunctis lex Ecclesiæ, quæ præsentiam Parochi requirit, quia difficultas Parochum requirendi est communis, et proinde lex Ecclesiæ cessare debet, ne sit nociva communitati; sed minime cessat impedimentum consanguinitatis, quia hæc difficultas est particularis, non vero generalis; possunt enim sponsi illi singuli cum aliis contrahere.

In 3° casu : probabilius Thirus non est inquietandus, si iudicis sententia non interveniat, quia juxta multos irritatio hujusmodi non est ipso facto, sed juridice tantum declaranda. *V. Compend. de testamentis, n. 817.*

CASUS XX.

DE LEGE PŒNALI.

SAPRICIUS vehere seu transferre solet curru, jumento, aut alio modo, frumenta, vina, victualia, et merces quibus tributa imponuntur. Satagit autem ut solutionem tributi prætereat, quoties sine periculo mulctæ id facere potest, v. g. de nocte transeundo, viam absconditam arripiendo, præpositos fisci devitando, aut variis industriis decipiendo. Neque existimat se male agere, tum quia vectigalia sunt valde gravia et frequentia, ac sæpe ad res bono communi prorsus inutiles impenduntur, tum quia lex qua statuuntur mere pœnalis videtur. Attamen accedens ad confitendum, tempore paschali, scrupulo inductus, interrogat an male fecerit?

HINC :

- QUÆR. 1° *An dentur leges mere pœnales?*
 2° *An peccaverit SAPRICIUS, et ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

125. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Possunt dari leges hujusmodi, seu obligantes disjunctive vel ad legem adimplendam, vel ad pœnam subeundam, si lex violata sit et delinquens in culpa deprehensus fuerit. Etenim lex vim obligandi non habet nisi ex voluntate legislatoris; legislator autem ad solam pœnam obligare potest, si hoc communi bono procurando sufficiat. Porro id sufficere potest in quibusdam legibus, quæ non sunt tanti momenti ad ordinem societatis. Ita *communissime* theologi cum *S. Lig. n. 145. — Suarez, etc.*

2° Videntur dari, saltem in quibusdam locis, nonnullæ leges mere pœnales. Sic judicant theologi non pauci. *S. Lig.* loco citato ait : *Leges oppidorum prohibentes cæxionem lignorum, sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo.* — An autem, vel quænam leges sint mere pœnales in singulis locis, soli iudicare possunt in iis locis docti et periti. *V. Comp. n. 133.*

126. — *R. ad 2^m Quæs. Controvertitur* inter theologos. Alii affirmant, alii vero negant. Sic doctrinam Sanchez et aliorum refert *S. Lig. l. 3, n. 616*, quin propriam sententiam tradat : « Sentit Sanchez neminem « qui palam recta via transit, teneri solvere vectigalia, ratione transitus « per portam, vel pontem, quæ imponuntur pro assecuratione viarum; « durissimum enim esset obligare advenas ad scienda hæc statuta, in portis vel pontibus. Et hoc probabile putat Sanchez cum aliis, etiamsi quis « merces aut se occultet; quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non « debeantur nisi petita. Generaliter vero loquendo de omnibus vectigalibus, putat Lugo monendos esse populos ad tributa solvenda, sed post « factum non esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi persuadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquod in « justum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates. » Ex his igitur auctoritatibus minime inquietandus videtur SAPRICIUS. *V. Comp. de justitia, n. 738 et seq.*

CASUS XXI.

DE LEGE CIVILI ET EJUS OBLIGATIONE.

PAMPILIUS, Sacerdos, cum sociis quibusdam de legis civilis efficacia conferens, contra alios contendit eam obligare tantum in foro externo. Rationes autem in quibus innititur sunt sequentes, scilicet : 1° Quia lex civilis est a potestate temporali, et vinculum spirituale a potestate temporali procedere non potest. 2° Quia leges civiles ordinantur ad politiam externam, et proinde satis est quod in foro externo obligent. 3° Quia nemo potest obligare in foro, in quo non potest cognoscere : sed homo non potest cognoscere conscientiam alterius; ergo non potest de ea ju-

dicare. 4° Quia homo non potest obligare ad pœnam quam infligere nequit, sicut iudex sæcularis non potest præcipere sub pœna excommunicationis; ergo legislator humanus non potest præcipere sub pœna inferni vel purgatorii, quia non potest eam infligere: sed obligare in conscientia, est obligare sub tali pœna; ergo excedit efficaciam legis humanæ.

Cæteri Sacerdotes his rationibus minime moventur, quia, aiunt, *non est potestas nisi a Deo*, et Deus ipse per Principes sæculares mediate præcipit et imperat.

HINC :

QUÆR. 1° *An lex civilis obliget in conscientia?*

2° *An per se obliget sub gravi?*

3° *An leges irritantes in conscientia urgeant?*

SOLUTIO :

127. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative, per se*, cum sententia communi, teste *Suarez, de legibus, l. 3, c. 21*, post *S. Thomam, 1^o 2^o q. 96, art. 4.*

Prima ratio est, quia aperte colligitur ex Scriptura sacra. Sic enim *Paulus ad Rom. 13 : Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Et ibi additur ratio his verbis: *Dei enim minister est, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*: id est, non tantum propter timorem pœnæ, sed etiam propter vitandam culpam. Constat iterum ex verbis *Petri, 1^a epist. : Subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive regi, etc...*; *quia sic est voluntas Dei*. Constat etiam ex illo *Prov. 8 : Per me reges regnant, et legum conditores justa discernunt*. Hinc concludit *Suarezius* ibidem, doctrinam hanc esse vel *de Fide*, vel *proximam Fidei*.

Secunda ratio est, quia jus divinum et naturale dicit servandas esse justas leges a legitimis Principibus latas; ergo qui illas non servat agit contra divinam voluntatem, juxta citatum verbum *Petri : Sic est voluntas Dei*. Ergo illa transgressio est vera culpa et peccatum, adeoque contra obligationem in conscientia.

Tertia ratio est, quia hæc potestas est necessaria ad convenientem gubernationem reipublicæ humanæ. Etenim in communitatibus est necessaria vis præcipiendi et obligandi in conscientia. Hac enim ratione pater obligare potest filium, et similiter uxor tenetur obedire marito, juxta illud *Pauli ad Col. 3 : Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino*; et *ad Ephes. 5 : Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino*. Et reddit rationem: *quoniam vir est caput mulieris*. Multo autem magis rex, ut caput reipublicæ temporalis. Ratio a priori est, quia gubernatio sine potestate obligandi in conscientia est moraliter impossibilis, siquidem coactio justa supponit culpam; vel saltem est valde insufficiens, cum per eam solam Princeps non posset in multis casibus necessariis sufficienter reipublicæ subvenire. *Suarez, de legibus, l. 3, cap. 21.*

128. — Nunc autem rationibus *PAMPHILII* est respondendum.

Ad 1^m. Potestas civilis dici quidem potest temporalis, ratione materiæ, et hoc modo verum est non posse ponere vinculum spirituale, scilicet in

materia spirituali. Attamen, quatenus in materia temporali reperiri potest honestas, et obligatio ad illam servandam, ita potest lex civilis ex parte materiæ hoc vinculum ponere, scilicet, quia conscientia quid spirituale est. Insuper illa potestas est participatio divinæ potestatis, et sub illa ratione est vere spiritualis, et includere potest vim quæ spiritum ipsum et rationem liget.

Ad 2^m. Leges civiles etiam intendunt honestatem morum in sua materia et in ordine ad finem suum, et hac ratione possunt in conscientia obligare. Deinde obligatio in conscientia est necessaria, ut potestas civilis per suas leges possit efficaciter consequi finem suum; quia, nisi cives in conscientia teneantur legi obtemperare, non poterunt pax et justitia in republica conservari: homines enim proxime per conscientiam diriguntur in actionibus suis; et ideo necesse est, ut ex lege civili redundet obligatio ad conscientiam.

Ad 3^m; seu *lex non potest obligare ubi non potest cognoscere*. Aliud est quod actus de quo fertur lex debeat subijci cognitioni humanæ; aliud vero quod obligatio ad talem actum debeat esse eodem modo cognoscibilis. Primum est verum *per se* ac necessarium. Secundum autem non est *per se* necessarium; quia, ut lex humana imponat obligationem in conscientia, non oportet ut *per se* et *directe* de ea judicet, seu de transgressione in illo foro, sed de sola externa actione vel omissione.

129. — *Ad 4^m*. Aliquis dupliciter fieri potest reus pœnæ ex transgressione legis, scilicet: 1° quia lex directe imponit talem pœnam; 2° ex quadam consecutione reatus. Priori modo legislator non potest obligare ad pœnam quam nullo modo infligere potest; posteriori modo falsum est. Lex autem civilis non obligat sub pœna inferni vel purgatorii priori modo, sed tantum posteriori. Etenim Deus vult observari leges a ministris suis latas, etiam sub pœna in altera vita subeunda, quia earum transgressio continet veram culpam, et supremum legislatorem ipsum offendit. *Suarez, de leg. l. 3, c. 21.*

Dixi supra, legem civilem obligare *per se* in conscientia, quia dari possunt leges mere pœnales, ut dictum est in casu præcedenti; præter quod esse possunt etiam leges civiles irritantes, quæ efficaciam suam ad forum externum terminent, ut in responsione ad 3^m quæsitum dicemus.

130. — *R. ad 2^m Quæs.* Lex civilis obligat sub gravi, *per se*, licet hoc non semper in individuo contingat. Hæc assertio ostendi potest omnibus testimoniis et rationibus supra in responsione ad primum quæsitum adductis. Etenim obligatio in conscientia extenditur *ex genere suo* ad obligationem *sub mortali*. Quare? Quia lex humana ex se obligat in conscientia, ergo inducit obligationem materiæ proportionatam, si circa illam absolute feratur. Ergo ex se inducere valet obligationem sub mortali. Confirmatur, quia ratio naturalis dicit talibus legibus esse obediendum, sicut dicit esse obediendum parentibus. Ergo, sicut peccatum mortale est *ex genere suo* non obedire parentibus, ita etiam non servare leges civiles, seu non obedire Principi sæculari *ex genere suo* est peccatum mortale. Ergo leges civiles *ex genere suo* obligare possunt sub peccato gravi. *Suarez, t. 5, l. 3, c. 24.*

Dixi *ex genere suo*, quia certum est *in individuo*, seu in singulis legibus, non semper esse obligationem tam gravem, ut transgressio legis civilis pœnam æternæ damnationis inducat.

131. — *R. ad 3^m Quæst.* Leges irritantes possunt quidem obligare in conscientia, sed non semper taliter obligant. Igitur distinguendum est. Lex irritans obligat in conscientia, si sit simul irritans et præcipiens, seu prohibens, ne actus absque tali forma fiat. Secus vero, si sit tantum irritans, seu declarans actum absque tali forma non valere, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur. Etenim aliquando lex præscribens formam actus vel contractus præcipit ut ita fiat, seu ut non fiat aliter; vel prohibet, ne fiat absque tali conditione. Sic Ecclesia in impedimentis matrimonii, speciatim in impedimento clandestinitatis, et in variis decretis, v. g. de collatione simoniaca beneficiorum, etc. Aliquando contra, lex nihil præcipit, vel nihil prohibet, sed tantum determinat formam ad valorem actus requisitam, ut patet in lege de testamentorum solemnitate, et similibus. Sæpe leges civiles attendunt tantum ad formæ defectum, atque declarant actum sine tali forma positum invalidum esse, et nihil aliud præcipiunt vel prohibent, et tunc non censentur urgere in conscientia. *Suarez, de leg. l. 5. c. 20.*

CASUS XXII.

DE CONSUETUDINE.

Controversia ingens diu et acriter agitur in cœtu Sacerdotum de rebus theologis disputantium, circa vim consuetudinis in ordine ad legem abrogandam. Etenim :

1° FLORENTIUS contendit requiri, præter honestatem consuetudinis et diuturnitatem sufficientem, consensum Principis, sive verbis, sive gestis expressum; quia inde tantum vis legis consuetudini accedere potest.

2° ELIGIUS autem non exigit quidem consensum hunc expressum in Superiore ut consuetudo vim legis habere possit, sed ejus defectu omnino postulat ut declaratio tribunalis competentis interveniat.

3° SYLVESTER vero negat mordicus consensum Principis expressum requirendum esse, neque iudicium juridicum alicujus tribunalis, sed sufficere consensum ejus *implicitum*, seu *legalem*, qui haberi censetur per approbationem legum, consuetudinis efficaciam statuentium.

Verum singuli præliantes adeo fixi et immobiles in sua sententia inhaerent, ut ne ab uno quidem passu dimoveri queant. Tu autem certaminis spectator, quid dicis? Edissere.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam conditiones requirantur, ut consuetudo vim legis habeat?*

2° *An consensus Superioris debeat esse expressus; vel an implicitus sufficiat; seu an Superior debeat scire consuetudinem, et eam approbare, necne?*

3° *Quid de casu proposito?*

SOLUTIO :

132. *R. ad 1^m Quæst.* Sequentes requiruntur conditiones :

1° Ut consuetudo *servetur a communitate* saltem generatim, seu ab ejus majore et saniore parte, secus enim non posset proprie dici consuetudo.

2° Ut sit *rationabilis*, seu ut nihil habeat inhonestum, id est legi divinæ aut naturali repugnans. Non tamen requiritur bona fides a principio, nam etiam peccando fieri potest consuetudo, quæ postea honesta evadat. Consuetudo enim triplicem statum habet : in principio omnes consuetudinem introducetes contra legem peccant; in progressu jam non peccant illa a majoribus introducta utentes, sed possunt puniri; in fine nec peccant, nec puniri possunt illa jam præscripta utentes. *S. Lig. n. 107.*

133. — 3° Ut sit *diuturna*, seu ut duret tempore requisito, et cum actibus repetitis. Quodnam autem tempus sufficiat ad consuetudinem præscribendam, non satis constat. Dicunt enim non pauci satis esse decennium, nisi aliud sit alicubi sancitum. Alii tamen dicunt relinquendum esse arbitrio prudentium, juxta repetitionem actuum, et negotiorum qualitatem. *S. Lig. ibidem.*

NOTA. Consuetudo, ut sit legitima, perseverare debet per tempus *continuatum*; nam, si interrumpatur etiam per unum actum a majori parte communitatis, vel si interim Princeps reclamet, aut puniat violantes legem, consuetudo non prescribitur.

134. — Præterea ad inducendam consuetudinem obligatoriam requiritur intentio se obligandi, vel consuetudinem introducendi; quare nulla fit consuetudo proprie dicta seu vim legis habens, si populus aut major pars ejus agit ex devotione, gratitudine, etc. In dubio autem utrum consuetudo sit ex devotione, vel obligatione, sub gravi aut levi, an obliget ad culpam, vel ad pœnam tantum, benignior pars tenenda est; nam nulla lex obligat, nisi de ea certo constet. *S. Lig. n. 107.* Sic obligatio consuetudine primum inducta est ad Horas canonicas, et ad abstinentiam a carnibus diebus Rogationum in variis locis. *Reuter, n. 236.*

135. — *R. ad 2^m Quæst.* Sufficit consensus non solum tacitus, sed etiam implicitus, qui a Principe etiam consuetudinem ignorante haberi potest; quia censetur approbare conditiones ex quibus consuetudo constituitur. Consensus ille dicitur etiam legalis; quia Princeps approbando leges, ex quibus inducitur consuetudo, eo ipso implicite consuetudinem approbat. *S. Lig. ibid.* et alii multi cum *Suarez, de leg. l. 7, c. 13*, ubi dicit : *Ex his infero : primo, quando consuetudo præscripta jus inducit, tunc non postulari consensum personalem Principis, ac proinde nec specialem ejus scientiam de tali consuetudine, sed ipso nihil de novo sciente, aut volente, tacite vel expresse consuetudinem efficaciter induci. Hæc est communis sententia jurisperitorum, teste Panormitano.*

Sic etiam *Schmalzgruber, part. 1, tit. 3, § 4*, ubi, relata opposita sententia, ait : *Sed melius, cum communi et receptissima sententia, nullus alius ad introducendum consuetudinem consensus requiritur, quam legalis, sive, ut etiam vocant, juridicus, qui habetur per leges et canones, consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique tribuentes vim juris, si illa rationabilis et legitime præscripta sit.*